

72 Confirmatur: Cognitio ex qua Verbum procedit, prius proprietate a quo terminatur ad Filium, quam ad Spiritum sanctum; & prius ad essentiam & attributa, quam ad creaturas possibiles; & tamen hac prioritas non obstat, quin Verbum ex cognitione Spiritus sancti, & creaturarum possibilium per se procedat, ut articulis precedentibus ostensum est: Ergo quod actus necessarii, prioritate a quo libera Dei decreta, & rerum futuritionem precedat, non impedit quin Verbum ex futurorum cognitione procedat. Hac ergo ratione praermissa,

73 Probatur primo conclusio fundamentali. Cum processio Verbi sit absolute necessaria, non facta est, ut aliquod obiectum per se ad illam concurrat, quod illud sit cognoscibile, & de facto cognoscatur ab intellectu divino, in eo signo in quo Verbum procedit: sed insuper requiritur, quod sit absolute necessarium, seu quod habeat necessariam connexionem cum essentia divina, quae est obiectum primum & formale intellectus divinae: Sed futura contingencia (supposito etiam libero divinae voluntatis decreto, a quo futuritionem habent) non sunt simpliciter & absolute necessaria, sed tantum secundum quid, & ex suppositione decreti, nec habent necessariam connexionem cum divina essentia, ut ex se patet: Ergo Verbum Divinum ex illorum cognitione non procedit.

74 Confirmatur: Illud per se ad productionem Verbi Divini non concurrat, quod si auferretur, Verbum maneret omnino invariatum, & ejusdem rationis ac antea: Sed sublata a Deo futurorum contingentium cognitione, Verbum Divinum omnino invariatum subsisteret: Ergo illa per se ad ejus productionem non concurrat. Major patet, Minor vero fundatur primo ex Anselmo in Monol. cap. 30. ubi sic ait: *Sive Deus cogitaret nulla alia existente essentia, sive alia existentibus, necesse est Verbum illius conceptum illi, esse cum ipso.* Et cap. 31. *si nihil unquam aliquid esset, nisi summus ille Spiritus, ratio tamen cogit, Verbum illud quo se dicit, ex necessitate esse.* Ubi aperte docet Anselmum, etiam si nihil esset futurum, Verbum Divinum omnino invariatum mansurum: At si nihil esset futurum nullius futuri cognitio esset in Deo: Ergo sublata in Deo futurorum contingentium cognitione, Verbum Divinum omnino invariatum subsisteret.

Secundo probatur eadem Minor: Divina voluntas ex suppositione quod creatura sint futura, non immutatur, aut aliter se habet, ac se haberet ex suppositione quod non essent futura; decretum enim a quo res habent futuritionem, nullam in voluntate Dei inducit mutationem: At divina voluntas invariata manente, debent etiam intellectus Dei, & Verbum per illum productum, invariata subsistere: quia propter naturalem sympathiam, & summam collocationem voluntatis & intellectus Dei, nec non Verbi per illum producti, nequit aliqua variatio intrinseca esse in aliquo istorum, nisi alia etiam intrinseca esset in Deo: Ergo sublata a Deo futurorum contingentium cognitione, Verbum Divinum omnino invariatum subsisteret.

75 Probatur secundo conclusio: Ut Verbum ex cognitione futurorum procederet, deberet hac scientia prius origine convenire Patri, quam Verbo: Sed prius origine Patri convenire non potest: Ergo nec Verbum ex futurorum cognitione procedere. Major patet, Minor probatur. Cum scientia futurorum sit innoxia decreto, ut in Tract. de scientia Dei disp. 4. artic. 6. probatum est, eodem modo de illa philosophandum est, ac de ipso decreto: Sed libera divinae voluntatis decreta, prius origine non conveniunt Patri; sicut enim actiones ad extra sunt toti Trinitati communes, ita & decreta libera indivisa sunt, & tribus personis communia, ac proinde non prius uni quam alteri competunt: Ergo pariter scientia liberorum, innoxia decreto, ac in eo fundata, non convenit prius Patri quam Filio.

76 Tertio suaderi potest conclusio ex fundamentis articulo precedentis status: Illud solum per se ad Verbi productionem concurrat, quod per se essentialiter requiritur, ut cognitio ex qua procedit sit infinita & comprehensiva: Sed ad hoc essentialiter non requiritur, quod ad futura contingencia terminetur: Ergo Verbum non procedit per se ex illorum cognitione: Ergo patet ex supra dictis, Minor vero probatur. Ut Deus se ipsum comprehendat, sufficit quod perfectissime penetret suam omnipotentiam, & in illa cognoscat quicquid per illum potest producere; nec per se requiritur quod cognoscat futura, alias si Deus decrevisset nullam creaturam producere (in quo casu nulla creatura esset futura, ac proinde non esset in Deo cognitio futurorum) non posset se ipsum comprehendere. Quod est absurdum.

77 Respondet Ruiz ubi supra: Quod etsi ad cognitionem comprehensivam Dei, absolute & simpliciter non requiritur cognitio creaturarum futurarum; bene tamen ex suppositione quod sint futura; & ideo ex suppositione decreti, a quo res habent futuritionem, Verbum per se ex futurorum cognitione procedere.

78 Sed hac responsio vim argumenti non infringit: Quia, ut dicebamus, illud solum per se ad Verbi productionem

potest concurrere, quod per se & essentialiter requiritur, ut cognitio ex qua procedit sit infinita & comprehensiva: Ergo si cognitio futurorum ad cognitionem comprehensivam Dei absolute & simpliciter non requiritur, sed tantum per accidens, & ex suppositione decreti, & futuritionis rerum, cognitio futurorum ad productionem Verbi per se non potest concurrere, sed ad illam mere per accidens & concomitantem se habet. Adde quod, cum productio Verbi Divini sit simpliciter & absolute necessaria, per se non potest pendere ex aliqua suppositione libera & contingenti, qualis est suppositio divini decreti, & futuritionis rerum.

Dices secundo; Verbum Divinum non procedere per se ex scientia futurorum conditionatorum: si tamen in Deo admittatur scientia media, seu cognitio futurorum conditionatorum, a decreto independens, illoque anterior, negari non potest Verbum Divinum ex illorum cognitione procedere.

Prima pars hujus conclusionis patet ex dictis in precedentiibus: Verbum enim Divinum, cum sit in sua entitate omnino necessarium, nec possit non esse in Deo, ex aliqua scientia libera, & qua potuit absolute Deo non convenire, non potest per se procedere: Sed cognitio futurorum contingentium conditionatorum est omnino libera (cum liberam divinam voluntatis decretum, non minus quam scientia futurorum absolutorum, supponat) & potuit absolute Deo non convenire, ut in Tract. de scientia Dei ostensum est: Ergo Verbum Divinum ex illa per se non procedit.

Altera vero pars breviter suadet: Ut aliquod obiectum per se ad Verbi productionem concurrat, idio tantum requiruntur, nempe quod sit cognoscibile in eo signo in quo Verbum procedit, & quod sit absolute necessarium: Sed utrumque convenit futuris conditionatis, si illa sit futura ante decretum & praedeterminationem divinae voluntatis: Ergo admittitur scientia media, sequitur Verbum Divinum ex futurorum cognitione procedere. Major patet, Minor etiam quantum ad primam partem est evidens: quia in signo antecedenti decretum concipiuntur actus notiones & necessarii, & consequenter processio Verbi: Ergo si in tali signo res contingentes sint sub conditione futurae, & habeant veritatem obiectivam determinatam (ut docent assertores scientiae mediae) sunt cognoscibiles ut deus ab intellectu divino, in eo signo in quo Verbum a Patre procedere intelligitur.

Quantum vero ad secundam partem (quod nimirum futura conditionata sint absolute necessaria, si independentes a divino decreto, & in signo rationis illud antecedente, sint determinate futura) fuisse probata est conclusio in Tract. de scientia Dei disp. 4. art. 4. §. 3. Tum quis jam erunt futura ante primum principium, & primam radicem totius libertatis & contingentiae, atque ex vi & natura oppositionis contradictoriae, quae est causa necessaria necessitatis absoluta: Tum etiam, quia erant futura pro omni signo & instanti imaginabili, ut ibidem late expendimus: Ergo admittitur in Deo scientia media, negari non potest, Verbum ex futurorum conditionatorum cognitione procedere. Unde Molina qui hoc admittit (ut testatur Arzabal) magis consequenter ad sua principia philosophatur, quam alii defensores scientiae mediae, qui hoc negant.

§. II.

Solvantur argumenta in contrarium.

Contra praecedentes conclusiones obijciunt in primis 82 Adversarii testimonium August. 15. de Trinit. cap. 13. & 14. ubi docet Verbum Divinum esse de omnibus, quae sunt in scientia Dei. Et Divi Thom. hic art. a. ad 3. afferentis quod Pater intelligendo se, & Filium & Spiritum sanctum, & omnia alia quae in eius scientia continentur, concipit Verbum. Atqui creaturae, non solum ut possibiles, sed etiam ut futurae, in scientia Dei continentur: Ergo verbum non solum ex cognitione possibilium, sed etiam ex scientia futurorum procedit.

Ad Augustinum respondeo, Verbum Divinum esse de 83 omnibus quae sunt in scientia Dei, etiam de contingentibus: repraesentari enim non solum possibilia, sed etiam futura; quamvis non sit ortum ex futurorum scientia, sed illa mere concomitantem & veluti accidentaliter ad ejus productionem se habeat.

Ad D. Thomam dicatur, illum ibi loqui de scientia Dei 84 naturali, & necessaria, quae scientia simpliciter intelligentia appellatur, quae non se extendit ad res contingentes & futuras, sed tantum ad possibilia terminatur.

Negue obicit quod idem S. Doctor infra q. 37. art. 2. ad 3. ait, Patrem dicere omnia Verbo, sicut diligit omnia Spiritu sancto; ex quo inferit Zuniga, ipsum intelligentem esse de scientia futurorum & existentium, ad quae dilectio, ex qua Spiritus sanctus procedit, terminatur. Nam illa comparatio D. Thom. non debet tenere quantum ad omnia (alias sequeretur quod Verbum ex scientia possibilium non procederet, eo quod Spiritus sanctus, ut disputatio sequenti ostendimus, ex illorum amore non procedat)

cedat) sed valet solum quantum ad hoc, quod dictio qua Verbum producitur, ad naturam & existentiam terminatur, sicut & dilectio ex qua Spiritus sanctus procedit: quare haec terminatio, nec ad Verbi productionem, nec ad processioneem Spiritus sancti per se concurrat, sed ad utramque mere concomitantem se habeat.

85 Obijciunt secundo, Verbum per se in quarto modo procedit ex cognitione comprehensiva essentiae: At hac, supposito decreto de creaturis futuris, per se petit terminari ad illas: Ergo tali decreto supposito, Verbum per se procedit ex notitia futurorum. Major est certa, Minor probatur. Comprehensio est cognitio objecti, & omnium quae in illo sunt cognoscibilia: At supposito decreto de existentia futurorum, illa sunt cognoscibilia in essentia divina: Ergo tali decreto supposito, comprehensio essentiae per se petit terminari ad futura.

86 Confirmatur: Verbum debet in actu secundo exprimeri ac repraesentare omnia obiecta, quae ab essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, & principii quae divinae intellectus, veluti in actu primo repraesentantur: Sed supposito decreto, essentia divina ut generis vices speciei intelligibilis, & ut habet rationem principii quae divinae intellectus, est per se repraesentativa non solum rerum possibilium, sed etiam futurarum: Ergo supposito decreto, Verbum non solum possibilia, sed etiam futura per se repraesentat.

87 Ad objectionem respondeo, distinguendo Majorem: ex cognitione comprehensiva essentiae, ut terminata ad obiecta necessaria, seu cum ipsa essentia divina necessario connexa, concedo Majorem: ut terminata ad obiecta libera, & cum essentia divina necessario non connexa, nego Majorem. Unde cum essentia divina sit necessario connexa cum creaturis possibilibus, non vero cum futuris, cognitio comprehensiva illius per se petit ad possibilia, non vero ad futura contingencia terminari.

88 Vel secundo responderi potest, concessi Majori, negando Minorem: ad cuius probationem, distinguo Majorem. Comprehensio est cognitio objecti, & omnium quae in illo sunt cognoscibilia, per se & ratione alicujus formalitatis necessariae, concedo Majorem. Per accidens, & ratione alicujus suppositionis, aut formalitatis, liberae & contingentis, nego Majorem. Scilicet distinguo Minorem: supposito decreto futura sunt cognoscibilia in essentia, ratione alicujus formalitatis necessariae, nego Minorem: Ratione alicujus formalitatis aut suppositionis liberae & contingentis, concedo Minorem, & ad consequentiam. Solutio patet ex supra dictis, ad comprehendendum enim aliquam penitentiam, sufficit quod cognoscantur obiecta, quae per se & necessario in illa continentur, nec requiritur quod illa ad quae per accidens & contingenter se extendit, attingantur. Unde, ut supra dicebamus, si Deus decrevisset nihil ad extra producere, nihil ut futurum cognosceret, & tamen perfectissime suam omnipotentiam comprehenderet, videndo infinitas creaturas possibiles, quae in illa ut in causa eminentissimo modo continentur.

89 Ad confirmationem, concessi Majori, neganda est Minor: cum enim res ut futurae, non sint cum divina omnipotentia necessario connexa, creaturae ut possibiles, essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, & principii quo divinae intellectus, non est per se repraesentativa futurorum contingentium, sed per accidens tantum & concomitantem; quatenus scilicet ei veluti accidentaliter seu contingenter advenit liberum divinae voluntatis decretum: unde cum Verbum Divinum, ex vi suae processions, illa solum obiecta repraesentat, quae per se in essentia, ut genere vices speciei intelligibilis, & intellectum Patris secundante, continentur, futura contingencia per se & ex vi processions non exprimit, sed illorum cognitio ad ejus productionem mere per accidens & concomitantem se habeat.

90 Obijciunt secundo Adversarii, & insunt contra solutionem jam datam. Verbum Divinum de facto repraesentat & exprimit creaturas, non solum ut possibiles, sed etiam ut futuras: Sed talis expressio ac repraesentatio illi convenit ex vi processions: Ergo ex vi illius repraesentat creaturas, non solum ut possibiles, sed etiam ut futuras. Major est certa, Minor probatur. Quidquid Verbum habet, accipit a Patre per aeternam generationem, juxta illud Christi Jo. cap. 17. *Omnia mea, tua sunt.* Et illud cap. 7. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me:* Sed quidquid Verbum accipit a Patre per aeternam generationem, habet ex vi suae processions: Ergo expressio & repraesentatio futurorum, ex vi suae processions illi convenit.

91 Respondeo concessi Majori, negando Minorem. Ad cuius probationem, nego pariter Minorem. Nam etsi Verbum omnia quae habet, habet per suam processioneem, non tamen omnia habet ex vi suae processions, sed aliqua per suam processioneem identice tantum & concomitantem illi conveniunt. Sicut disp. 2. dicebamus, quod licet Spiritus sanctus per suam processioneem habeat naturam divinam a Patre & Filio communicatam, illam tamen non accipit ex vi suae processions, sed concomitantem tantum & identice,

in quantum amor seu impulsus, quem ex vi suae processions recipit, realiter identificatur cum natura divina.

Dices: Filio ex vi suae processions formaliter solum convenit natura divina, non vero attributa; cum sola natura sit formalis & primarius terminus divinae generationis; & tamen per se procedit, non solum ex cognitione essentiae, sed etiam attributorum: Ergo quamvis libera repraesentatio futurorum, illi non competat primario ex vi processions, sed tantum secundario, debet tamen ex cognitione illorum procedere.

Respondeo: Attributa communicari Filio ex vi processions, per se secundario; & idcirco procedere ex cognitione illorum: repraesentationem autem rerum futurarum & existentium, quia ab aliqua suppositione libera & contingenti dependet, per accidens solum competere Verbo; & ideo illud per se procedere ex cognitione attributorum, & creaturarum possibilium, sine quibus divina omnipotentia comprehendi non potest; non vero ex cognitione futurorum, quae cum divina omnipotentia, aut aliis attributis, necessariam connexionem non habent.

§. III.

Duo corollaria notata digna.

EX dictis inferes primo, Verbum Divinum per se procedere ex cognitione divinorum decretorum sub conceptu entitatis, per accidens vero, sub conceptu terminationis ad creaturas.

Patet hoc corollarium: quia Verbum per se procedit ex cognitione essentiae, ut terminata ad formalitates necessarias, seu necessario cum essentia connexas; per accidens vero, seu concomitantem, ex cognitione illius, ut terminata ad formalitates liberas, & cum essentia necessario non connexas: Sed libera Dei decreta, sub conceptu entitatis increate quam explicant, necessaria sunt, & cum essentia divina necessario connexa, defectibilia vero seu contingencia, sub conceptu terminationis ad creaturas; cum sub illa ratione & formalitate poterint in Deo non esse, ut in Tract. de voluntate Dei disp. 3. art. 2. fuisse explicatum est: Ergo &c.

Inferes secundo, plures esse distinguendas terminations 95 in intellectu, per quam Verbum producitur. Prima est ad essentiam divinam, ut ad ejus obiectum formale & primum: secunda ad attributa, & relationes, ut ad proprietates, vel modos obiecti formalis & primarii: tertia ad creaturas possibiles: ultima ad res existentes & futuras. Tres prima per se & ex vi processions Verbo Divino conveniunt; quarta vero solum concomitantem; & veluti per accidens. Unde si per impossibile aliqua ex tribus primis tolleretur, Verbum Divinum, vel omnino destrueretur: vel mutaretur intrinsece: secus vero, si ultima terminatione careret.

ARTICULUS IV.

An proprie, & perfecte, ac soli Filio, ratio imaginis conveniat in Divinis?

TRia, ut patet, in hoc articulo inquirimus. Primum, an ratio imaginis vere & proprie Filio Dei competat? Secundum, an perfecte in illo reperitur? Tertium, an illi tantum, non autem Spiritui sancto conveniat?

§. I.

Praemittitur unum quod apud omnes est certum, ex quo inferuntur quaedam corollaria.

SUPPONENDUM est ex D. Thom. hic art. 1. & infra quest. 93. 96 art. 1. & 2. ad veram & propriam rationem imaginis duo requiri. Primum est similitudo, non quaecumque, sed perfecta: id est quae sit in specie, aut saltem in signo speciei, quale est figura in rebus corporalibus, similitudo enim in gradu generico, aut analogo, vel etiam in accidentibus communibus, non sufficit ad rationem imaginis, unde vermiculi in homine producti, non sunt ipsius imaginis, nec etiam paries albus est imago hominis albi. Secundum quod ad propriam rationem imaginis requiritur, est expressio, seu origo ab eo, cujus dicitur imago, unde unum ovum, quamvis perfecte simile alteri, non est imago illius, quia non est ab illo expressum seu productum, ut ex Augustino ibidem refert S. Thomas. Ex hac suppositione

Inferes primo, quod sicut triplex potest reperiri similitudo ab alio expressa, scilicet in re artificiali, intentionali, & naturali: ita triplex potest dari imago, nimirum artificialis, ut statua, vel tabella: intentionalis, ut species impressa, & expressa; & naturalis, ut filius respectu patris.

Inferes secundo, quod tanto perfectior est imago, quanto perfectior est similitudo procedens ab alio: unde imago artificialis est omnium imperfectissima, quia importat similitudinem in aliqua tantum qualitate, quae designat rationem

tionem speciei, scilicet figura. Imago intentionalis secundum obtinet gradum, quia importat similitudinem, non solum in signo speciei, sed etiam in ipsa specie seu natura, sub modo tamen essendi intelligibili, vel intentionali. Denique imago naturalis est omnium perfectissima, quia importat similitudinem in specie seu natura, sub modo essendi naturali seu entitativo.

99 Interes tertio, rationem imaginis duplicem importare respectum: unum producti ad producentem, qui semper realis est, cum inter producentem & productum semper debeat esse realis distinctio: alteram similitudinem ad exemplar seu prototypum in natura seu signo nature: & hic realis est, quando natura in qua fundatur est realiter distincta in prototypo & imagine, ut contingit in creatis; rationis vero, quando eadem numero natura in utroque existit, ut fides docet de personis divinis.

100 Interes quarto, imaginem non dici essentialiter in Divinis, sed personaliter tantum; quia essentia divina non est ab alio expressa seu producta, sed tantum communicata. Dices. In creatis ratio imaginis importat primario aliquid absolutum, nempe qualitatem: Ergo & in Deo.

Sed negatur consequentia, & paritas: nam in creatis, propter limitationem, imago potest distingui a prototypo, ratione aliquid perfectionis absolute, non vero in Divinis, propter infinitatem ratione cuius omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.

§. II.

Difficultas proposita scriptici conclusione resolvitur.

101 Dico primo, rationem imaginis vere & proprie secundum Trinitatis personam convenire. Conclusio est certa de fide, & colligitur ex variis Scripturae locis, in quibus Filius vocatur imago Patris. Ad Colos. 1. Qui est imago Dei invisibilis. Ad Hebraeos 1. Qui cum sit splendor gloriae, & figura substantiae eius. Pater etiam est dictus in suppositione: utroque enim conditio ad rationem imaginis requisita, competit Filio: quippe qui procedit a Patre, & illi perfecte similis est in natura. Unde Christus dicebat Joann. 10. Ego & Pater unum sumus. Unum de potentia perfectam essentiam similitudinem, immo & unitatem: (Sumus) personarum distinctionem, & per consequens processionem unius ab alia.

Addo quod, Christus verus est aeterni Patris Filius, eisque Verbum: Sed Filius est imago naturalis Patris, & Verbum imago intentionalis obiecti quod manifestat: Ergo ratio imaginis vere & proprie secunda Trinitatis personae competit.

102 Dico secundo: Ratio imaginis non solum vere & proprie, sed etiam perfectissime competit Verbo Divino. Patet etiam haec conclusio ex supra dictis: cum enim de ratione imaginis sit similitudo, tanto perfectius aliquid habet rationem imaginis respectu alterius quanto magis illi assimilatur in natura: unde, ut supra annotavimus, imago artificialis est omnium imperfectissima, quia importat similitudinem in aliqua tantum qualitate, quae est signum speciei: Sed Filius in Divinis perfectissime assimilatur Patri in natura, cum eadem numero natura in utroque existat: Ergo est perfectissima illius imago.

103 Hanc rationem egregie expendit S. Doctor in 1. dist. 28. q. 2. art. 1. ad 3. ubi sic dicitur. Invenitur quidam gradus perfectionis imaginis: dicitur enim quandoque imago alterius, in quo invenitur aliquid simile qualitati alterius, quae designat & exprimit naturam ipsius, quamvis illa natura in ea non invenitur: sicut lapis dicitur esse imago hominis, in quantum habet similem figuram, cui non subsistit natura illa cuius est signum: & sic imago Dei est in creatura; sicut imago Regis in denario, ut dicit Augustinus, & hic est imperfectus modus imaginis. Sed perfectior ratio invenitur, quando illi qualitati, quae designat naturam substantiae, est eadem natura in specie: sicut est imago patris in filio suo, quia habet similitudinem in figura, & in natura quam figura significat. Sed perfectissima ratio imaginis est, quando eandem numero formam & naturam invenimus in imagine cum eo quem imitatur: & sic est Filius perfecta imago Patris; quia omnia attributa divina, quae sunt per modum qualitatis significata, simul cum ipsa natura sunt in Filio, non solum secundum speciem, sed secundum unitatem in numero.

104 Addo quod, Filius Dei in Scriptura dicitur character, sive sigillum, imago, & speculum inter quae hoc invenitur discrimen, quod sigillum simplicem forme similitudinem certe imprimat, absque ullo colore fuso: imago picturam superaddit, & perfectiorem adhuc vultus similitudinem: speculum perfectissimum, utpote in quo omnes inventus se motus & gestus ita figurantur, ut viva sit quadam imago, quae ad insipientis motum se moveat, rideat cum ridente, fleat cum flente. Quare Filius Dei nedom character & imago Patris dicitur, sed & speculum sine macula; quia nedom vera, sed viva est, & perfectissima eius imago; quae Patris motus omnes, opera, & affectus exprimit, sive, ut ait Basilii: Totum in se monstrat Genitorem. Dicitur character in

ordine ad creaturas: imago & speculum in ordine ad Patrem: sigillum in operibus ad extra: Verbo enim (inquit Rupertus) Deus sigillat omnia, praesertim electos, quos idcirco Apostolus vocat in Christo signatos, imago denique & speculum in actionibus ad intra, quas perfectissime exprimit ac representat.

Addo etiam, quod creatae imagines, vel non sunt vere, quia fideliter non repraesentant prototypum; vel sunt inanimatae & mutae, quia carent vita & facultate loquendi, vel denique inanes & vacuae, quia carent virtute & operatione. At imago ista (inquit Ambrosius lib. 1. de fide cap. 4.) veritas est; imago ista Dei virtus est; non mutata, quia Verbum est; non inanis, quia virtus est; non vacua, quia vita est; non mortua, quia resurrectio est.

Dico tertio: Ratio imaginis convenit filio, non autem Spiritui sancto. Est contra Doctores Graecos, sentientes non solum Filio, sed etiam Spiritui sancto convenire rationem imaginis. Est tamen communis inter Latinos, eamque docet & probat Sanctus Thomas hic art. 2. haec ratione. sicut (inquit) Spiritus sanctus, quamvis sua processione accipiat naturam Patris, sicut & Filius, non tamen dicitur natus; ita licet accipiat speciem similem Patri, non dicitur imago: quia Filius procedit ut Verbum, de cuius ratione est similitudo speciei ad id a quo procedit, non autem de ratione amoris; quamvis hoc conveniat amori qui est Spiritus sanctus, in quantum est amor divinus. Quam rationem fuisse expendimus dispart. 2. art. 4. probando processionem Verbi esse generationem, non autem processionem Spiritus sancti.

Respondent Adversarii, quod licet Spiritus sanctus non habeat formaliter ex vi suae processionis similitudinem in natura cum Patre, habet tamen similitudinem in signo nature, scilicet in amore divino, qui est divina natura propria, seu attributum: similitudo autem in signo nature, sufficit ad rationem imaginis, ut patet ex supra dictis.

Sed contra: Ratio imaginis quae convenire potest personis divinis, debet esse perfectissima: Sed illa quae est solum secundum similitudinem in signo nature, est omnium imperfectissima, ut supra ostendimus, & docet Divus Thomas loco nuper allegato: Ergo non potest convenire Spiritui sancto.

Addo quod valde probabile est, in rebus tantum corporeis reperiri rationem imaginis ex sola similitudine in accidentibus naturam designantibus; nec adhuc in omnibus, sed in his tantum quae sequuntur quantitatem, scilicet in figura, & situ.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obijcies primo contra hanc ultimam conclusionem illud ad Rom. 8. Quos praeservit, & praedestinavit conformes fieri imaginis Filii Dei: hanc enim imaginem Filii plures ex SS. Patribus (ut Basilus, Cyrillus, & Athanasius) dicunt esse Spiritum sanctum: Ergo ille est imago Filii.

Respondet quod locus ille Apostoli debet explicari per constructionem intransitivam; illa ut intelligatur de imagine, non quae fit alia a Verbo, sed quae formaliter sit ipsummet Verbum. Vel etiam dicendum, pro reverentia illorum Patrum quod Spiritus sanctus dicitur imago Filii, lato modo sumpta imagine, pro eo scilicet quod ille, simile modo quamvis ab eo non habeat formaliter vi suae processionis illam similitudinem. Ita S. Thomas opusc. 1. cap. 10.

Obijcies secundo: Spiritus sanctus est infinite similior Patri & Filio, quam creatura Deo: Sed creatura sunt imago Dei: Ergo multo magis Spiritus sanctus Patris & Filii.

Respondet quod creaturae non sunt imagines Dei, nisi valde imperfectae; quia nec habent eandem speciem aut numerum naturam, nec aliquid perfectum naturae divinae signum, quamvis habeant aliquam imperfectam cum ea similitudinem: Adhuc tamen magis proprie illis convenit ratio illa imperfectae imaginis, quam Spiritui sancto, quia habent illam imperfectam similitudinem a Deo, formaliter ex vi suae productionis; comparantur enim ad illum veluti quadam artefacta ad artificem; atque ita sicut artifex facit artefactum formaliter ad similitudinem ideae quam mente praekoncepit, ita Deus condidit creaturas, respiciendo ad seipsum, ut ad eam exemplar: At vero Spiritus sanctus non habet similitudinem in natura, formaliter ex vi suae processionis, sed identice tantum, & concomitanter, ut in 2. disputatione art. 4. explicatum est. Solutio est D. Thom. in 1. ad Amibald. dist. 28. q. 2. art. 2. ad 3. ubi cum proposuisset hoc idem argumentum, sic respondet: Dicendum quod in artificiatu invenitur species artis, etiam apud nos, non autem in amore artificis: Et ideo creatura, in quantum habet speciem artis aeternae, quae est Filius Dei, dicitur imago: & ad imaginem, non autem Spiritus sanctus, qui est amor.

Ex dictis colligitur primo pulchritudinem fidei speciem illi recte attribui seu appropriari Filio Dei, iuxta illud quod dicit Hilarius lib. 2. de Trinit. Aeternitas est in Patre, species

in imagine, usus in munere. Nam ut docet S. Thom. infra q. 39. art. 8. ad pulchritudinem tria requiruntur, integritas scilicet fere perfectio, quae enim manca & diminuta sunt, eo ipso turpia sunt: debita proportio seu consonantia; ut patet in corporalibus; ille enim homo non dicitur pulcher, qui non habet membra debite proportionata, & coaptata; denique splendor seu claritas, unde quae habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur. Haec autem secunda sanctissima Trinitatis persona perfectissime conveniunt: cum enim sit Filius Dei naturalis, habet in se totam & integram Patris naturam: cum sit eius imago, perfectam habet cum illo proportionem, convenientiam, & similitudinem: denique cum Verbum sit, est lux & splendor intellectus, ut Damascenus dicit.

112 Colligitur secundo, Verbum solius Patris esse imaginem, nisi enim ut ab objecto pro se cognito procedat non solum a Patre, sed etiam a seipso, a Spiritu Sancto, & a possibilibus: ut a principio tamen originante, a solo Patre procedit; unde cum de ratione imaginis sit non solum similitudo, sed etiam processio, lex expresse, Filius solius Patris est imago. Quare plerumque saltem est quod scribit Auctor Theologiae mentis & cordis Tractatu de Trinit. pagina 300, nimirum quod quia principium quod Verbi est Pater, principium vero quod essentia, Verbum dicitur imago Patris & essentia. Cum enim inter imaginem & prototypum debeat esse relatio & distinctio realis, non minus quam inter Patrem & Filium; sicut Verbum non potest dici Filius essentia, sed tantum Patris, defectu relationis & distinctionis realis inter Verbum & essentiam (licet illa, ut modificata relatione paternitatis sit principium quae generationis Verbi) ita ob eandem rationem Verbum non potest dici imago essentiae, sed tantum Patris, quamvis essentia sit principium quae productionis fere expressionis Verbi, & habeat rationem speciei secundantem intellectum Patris ad illius productionem.

113 Colligitur tertio ex dictis tota haec disp. de persona Filii, eam adequate constitui per hos tres respectus Filiationis, Verbi & imaginis, omnesque per se requiri ad rationem Filii & geniti increati: quia cum Filius increatus procedat per intellectum, recipit naturam divinam, ex vi suae processionis, quod ad rationem Filii requiritur: Terminat intrinsece Patris intellectionem; quod est proprium Verbi; Verbum enim est terminus per intellectionem productus seu expressus, & perfecte manifestat suum prototypum, quod exigitur ad rationem imaginis. Hi vero tres respectus identificantur in secunda Trinitatis Persona, absque virtuali discrimine, & differunt solum per ordinem ad diversa connotata. Etenim, ut Filius, magis exprimit similitudinem sui identitatem in natura, ut Verbum magis explicat rationem manifestationis eorum quae Patri propria sunt; ut imago magis declarat rationem originis & imitationis sui representationis sui exemplaris. Unde S. Thomas hic art. 2. ad 3. ad experimenta diversa Filii Dei perfectionis, diversa ei attribuitur nomina. Nam ut ostendatur conaturalis Patri, dicitur Filius, ut ostendatur coaeternus, dicitur splendor: ut ostendatur omnino similis, dicitur imago, ut ostendatur immaterialiter genitus, dicitur Verbum. Haec magis patebunt ex dicendis Digressione sequenti.

DIGRESSIO UNICA.

Praecepta verbi Divini Encamia, in primo capite Evangelii D. Joannis contenta.

114 Joannes inter ceteros Evangelistas non immerito aquila comparatur: quia (ut dicit Augustinus Tract. 36. in Joann.) Ceteri tres Evangelista, tanquam cum homine Domino in terra ambulantes, de Divinitate eius pauca dixerunt. Iste autem, quasi pinguet in terra ambulare, erexit se non solum super terram, & super omnem ambitum aeris, & caeli, sed super omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque constitutionem invisibilem potentiarum, & pervenit ad eum per quem facti sunt omnia. Vel ut loquitur D. Thom. in prologo super commentaria in Joann. Joannes figuratur per aquilam, quia cum alii tres Evangelista circa ea quae Christus in carne est operatus occupati, designentur per animalia quae gradiuntur in terra, scilicet per hominem, vitulum & leonem. Joannes super nebulam infirmitatis humanae, sicut aquila volans, licet incommutabilis virtutis altissimi acque firmissimi oculis cordis intuetur, atque ipsam Deitatem Domini nostri Jesu Christi, quae Patri aequalis est intendens, eam in suo Evangelio studuit praecipue commendare. Hic illa aquila de qua dicitur Job 39. Nuncquid ad praecipuum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? oculi eius de longe prospiciunt. Vel potius illa quae Ezech. 17. describitur: aquila, inquam, illa magnarum alarum, quae venit ad Libanum, tulit medullam Cedri, firmamentum frondium ejus avulsit, & transportavit eam in terram Chanaan: hoc est, quod ad calos evolavit, altissime Cedri medullam, id est aeterni Patris Filium, eisque notitiam in terrenas hominum mentes transtulit, statim initio sui

Evangelii dicens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quibus quatuor aut quinque verbis, omnes haereses exclusit piscator noster, inquit Ambrosius lib. 1. de fide Trinit. Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio preventur; Ergo Arius contemnat. Quod autem erat apud Deum, non commixtione confunditur, sed manentis verbi apud Patrem solida perfectione distinguitur, ut Sabellius obmutescat. Et Deus erat Verbum. Non ergo in prolutione sermonis hoc Verbum est, sed in illa celestis designatione virtutis, ut confundatur Plotinus. Quod vero erat in principio apud Deum, sempiterna Divinitatis in Patre & Filio inseparabilis unitas edocetur, ut erubescant Eudoxius & Eunomius. Postremo, cum omnia per ipsum facta dicantur, ipse conditor novi usque testamenti & veteris designatur, ut Manichaeus locum tentationis habere non possit. Ita piscator bonus intra unum omnes rete conclusit, ut faceret inobaltes fraudi, quamvis essent inuisiles captivi.

Ut autem haec & plura alia Divini Verbi enormia facilius intelligantur, recolendum est illud quod saepe in hac disputatione insinuavimus, nempe Verbum Divinum esse terminum ex divina intellectionis fecunditate productum: ex hoc enim tam preclaro & arguto fonte, omnes ejus prerogative ac excellentiae manant, & praecipua illius a verbo creato discrimina.

In primis sicut divina intellectio est aeterna, immutabilis, carens principio & fine, semper in actu; nunquam in potentia: ita & Verbum per illam productum, aeternum ac immutabile est, & omnis potentialitatis expertus. Tu dicit (inquit Augustinus in Psal. 44.) aliquid modo, quia tacebas paulo ante, & ecce nunc noudum verbum proferis: cum autem proferre coeperis, rumpis silentium, & quodammodo generas verbum, quod antea non erat. Non sic Deus genuit Verbum: dicere Dei sine initio est & sine fine, & tamen unum Verbum dicit. In principio, inquit Joannes, erat Verbum, id est ab aeterno, seu ante omnia tempora. Hoc enim verbo, erat, (inquit Hilarius) transcursum tempora, transcenduntur saecula, tolluntur aetates. Unde Ambrosius lib. de fide Trinit. eadem Evangelicis verba expendens, sic in Ariano invehitur: Joannes dicit: erat, erat, erat, quater erat; & tu Haereticus dicit quod non erat. Cui ergo coeternus: Joanni in Christi pectore recumbenti, an Ario inter effusa sua viscera voluisti?

Sed quod mirabilis adhuc in hujus Verbi generatione videtur, est quod illa non solum caret principio, sed etiam fine, nec solum est ab aeterno, sed etiam manet in aeternum, semper antiqua, & semper nova. Unde in scriptura Christus, Oriens appellatur: Ecce viri orientis nomen ejus, Zachar. 6. quia, ut ait Lyranus, semper nascitur, & semper natus est: Oriens quod auroram non habuit, & quod nescit occasum: Oriens quod nulla precessit obscuritas, cui nox non succedit, & cui nulla unquam permiscetur tenebra; Oriens, ut ait Propheta, ante luciferum genitum, id est ante omnia sidera, & per consequens ante omnia tempora, ut ibidem explicat Augustinus, dicens quod Lucifer pro syderibus positus est, tanquam a parte totum significante Scriptura, & ex eminenti stella omnia sidera.

Secundo, cum intellectio divina sit actio immanens, Verbum quod per illam productum, ita a Patre procedit & exit, ut nunquam separatur ab illo. Unde Zeno Veronensis Serm. 3. de aeterna Verbi generat. Filium, nobilem cordis Patris inquilinum, appellat. Nam (inquit Chrysologus) processit de Patre, & a Patre penitus non abcessit. Sermo in Patre semper (addit Tertullianus libro contra Praxeam) Proculit enim Deus sermonem, sicut radix fructum, & fons fluvium, & Sol radium &c. Nec dubitaverim Filium dicere & radicem fructum, & fontem fluvium, & Solis radium... Nec frutex tamen a radice, nec flumen a fonte, nec radius a Sole discernitur, sicut nec a Deo sermo. Unde ait Joannes: Et Verbum erat apud Deum.

Tertio, cum intelligere in Deo sit esse fidei natura Dei: ut Tract. 1. dist. 2. art. 1. ostensum est: Verbum est divina intellectione procedens, non potest non esse ejusdem naturae cum Patre, illique non solum coeternum, sed etiam consubstantialiale, ut egregie discurrit D. Thom. super cap. 1. Joann. lectione 1. ubi ait, Hanc esse differentiam inter Verbum Divinum & humanum, quod verbum nostrum non est ejusdem naturae nobiscum, sed Verbum Divinum est ejusdem naturae cum Deo, & ideo est aliquid subsistens in natura divina. Nam ratio intellectus quam intellectus videtur de aliqua re formare, habet esse intelligibile tantum in anima nostra; intelligere autem in anima nostra non est idem quod esse naturale anima, quia anima non est sua operatio; & ideo verbum quod format intellectus noster, non est de essentia anima, sed est accidens ei. In Deo autem idem est intelligere & esse: & ideo Verbum intellectus divini non est aliquid accidentis, sed pertinet ad naturam ejus; unde oportet quod sit subsistens, quia quidquid est in natura Dei, est Deus &c. Quare Joannes addit quod Deus erat Verbum. Quo verbo usus est (inquit Augustinus) ut plenius & efficacius Filii aequalitatem & consubstantialitatem cum Patre assereret, omniumque tergiversationi Haereticorum aditum praecidit.

precluderet, hanc ergo Filium Dei agnoscimus, & non solum quodammodo, ut contendeant olim Ariani; & quidem tanta pertinacia ac pervicacia, ut unius litterae additio Ecclesiae unitatem laceraverit, & pro una enim littera (inquit Hilarius) ditia pugnantur, sed ipsa veritas, & consubstantialitas tandem de errore triumphavit.

118 Quarta, cum intelligere in Deo fit eminentissimo modo speculativum & practicum: ejusque scientia non solum directiva, sed etiam effectiva rerum, ut Tractatu 3. disp. 3. art. 1. ostensum est; Verbum ex divina intellectiois fecunditate procedens, non solum est speculativum, sed etiam operativum; nec solum creaturas exprimit ac representat, sed etiam illas efficit & conservat; unde in Scriptura vocatur virtus & sapientia Patris, ejus idea, & brachium, & Pater dicitur omnia portare verbo virtutis sui. Denique, ut ait D. Joannes, omnia per ipsum facta sunt. Omnia (addit Augustinus) quae fixa in caelo sunt, quae fulgent desuper, quae volitant sub caelo, & quae moventur in universa natura rerum, omnia omnino creaturae, ut intelligentes ab Angelo usque ad vermiculum.

Cui consonat, quod Moyses mundi originem describens, in singulis operibus tali utitur modo loquendi: Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux; Dixit Deus, fiat firmamentum, & sic de aliis. Quae omnia Psalmista comprehendit, dicens: Dixit & facta sunt, dicere enim est verbum producere. Sic ergo intelligendum est, quod Deus dixit, & facta sunt: quia Verbum produxit, per quod res in esse produxit, sicut per earum rationem perfectam. Ita D. Thomas 4. contra Gentes, cap. 13. Ubi etiam egregie observavit, quod Verbum Dei in hoc differt a ratione quae est in mente artificis, quod Verbum Dei est Deus subsistens, ratio autem artificis in mente artificis non est res subsistens, sed solum intelligibilis forma: forma autem non subsistens non comparat proprie ut agens (agere enim rei perfecta & subsistens est) sed est ejus ut eo agens, est enim forma principium efficiens quod agatur agit. Ratio igitur domus in mente artificis non agit domum, sed artifices per eam domum faciunt: Verbum autem Dei quod est ratio rerum factarum a Deo cum se subsistens, agit, & non solum per ipsum aliquid agitur; & ideo Dei sapientia ait Prez. 8. Cum eo erant cuncta component. Et Joann. 5. Dominus dicit: Pater meus operatur, & ego operor.

Sed quia, (ut ibidem notat S. Doctor) idem est causa conservacionis rerum & productionis ipsarum: sicut omnia per Verbum facta sunt, ita & per Dei Verbum conservantur in esse. Unde Psalmista dicit: Verbo Domini caeli firmati sunt. Et Apostolus ad Hebraeos 1. ait de Filio, quod portat omnia verbo virtutis sui. Item D. Joannes, ubi asserit omnia per Verbum esse facta, statim addit sine ipso factum est nihil: ut per hoc denotaret, omnia quae per Verbum facta sunt, per Verbum, & in Verbo conservari. Unde idem Angelicus Doctor ibidem lect. 2. Quaedam sunt quae non indigent operante, nisi quantum ad fieri, cum possint subsistere, postquam fuerint facta, absque operante influxum sicut domus indiget quidem artifice, quantum ad suum fieri, sed tamen persistit in suo esse absque artificis influxu. Ne ergo crearet aliquis omnia per Verbum sic facta esse quod sit causa eorum, quantum ad fieri solum, & non quantum ad conservacionem in esse: ideo consequenter Evangelista subiunxit, & sine ipso factum est nihil: hoc est, nihil factum est extra ipsum, quia ipse amicit omnia, conservans ea.

Quinto, in Deo prima & perfectissima ratio vitae consistit in intelligere: quare D. Thomas supra quaest. 18. art. 3. probat quod Deus obtinet perfectissimum gradum vitae, eo quod in summo intellectualitatis apice existit: Ergo cum Verbum ex divina intellectioe procedat, debet non solum esse vivens, sed etiam vitale ac vivificans, & ipsa vita per essentiam, in qua omnia quae facta sunt, ab aeterno vivunt. Et ideo subdit Joannes Quod factum est in ipso vita erat. Quae verba expendens S. Thomas ibidem lectione 1. sic ait: Res dupliciter considerari possunt, scilicet ut sunt in seipso, & ut sunt in Verbo. Si considerentur secundum quod sunt in seipso, sic non emittuntur sunt vita, nec etiam viventes, sed aliqua carent vita, aliqua vivunt. Sicut facta est terra, facta sunt etiam & metalla, quae nec vita sunt, nec vivunt, facta sunt animalia, facti sunt homines qui secundum quod sunt in seipso, non sunt vita, sed vivunt solum. Si vero considerentur secundum quod sunt in Verbo, non solum sunt viventes, sed etiam vita: nam ratione in sapientia Dei spiritualiter existentes, quibus res facta sunt ab ipso Verbo, vita sunt. Sicut arca facta per artificem, in se quidem nec vivit, nec vita est; ratio vero arca quae processit in mente artificis, vivit quodam modo, in quantum habet esse intelligibilem in mente artificis; non tamen est vita, quia ipsum intelligere artificis non est sua essentia, neque suum esse. In Deo autem suum intelligere est sua vita, & sua essentia: & ideo quicquid est in Deo, non solum vivit, sed est vita ipsa, quia quicquid est in Deo, est sua essentia; unde creatura in Deo est creatrix essentia. Si ergo considerentur res secundum quod in Verbo sunt, vita sunt.

Hanc doctrinam ab Augustino didicerat D. Thomas: ille enim Tract. 1. in Joann. eadem Evangelistae verba expendens, eam discrete tradit, his verbis: Faber facit arcam. Attendenda arcam in arte, & arcam in opere non est vita; arca in arte vita est, quia virtus animae artificis, ubi sunt ista omnia antequam perficiantur. Sic ergo quia sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia antequam fabricet omnia, hic quae sunt per ipsam artem, non continuo vita sunt, sed quicquid factum est, vita in illo est. Terram videt, est in arte terra: eam videt, est in arte eam; Solem & Lunam videt, sunt & ipsa in arte, sed foris corpora sunt, in arte vita sunt.

Sexto, Verbum Divinum non solum est vita per essentiam, in qua omnia vivunt, & vivificantur; sed est etiam lux vera, quae omnia suo fulgore illustrat, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Unde subdit Evangelista: Vita erat lux hominum. Et Propheta Regius Psalmo 34. ubi dicit: Apud te est fons vitae. Ratim subijcit: Et in lumine tuo videbimus lumen.

Licet autem singulari SS. Trinitatis personis praclara haec lucis appellatio competat: Pater enim lux est, Filius ejus splendor, Spiritus sanctus utriusque lumen infinitum; Pater lux ingenta, Filius lux genita, Spiritus sanctus lux a Patre Filioque effusa; Pater primum lumen, Filius lumen de lumine, & Spiritus Sanctus lumen ab utroque lumine: nihilominus speciali titulo pulcherrimum hoc lucis nomen Filio appropriatur. Lux enim prima est Solis emanatio, ex qua postmodum calor erumpit: At Filius vapor est Omnipotentis, candor Divinae lucis, paternae gloriae splendor, ex quo Spiritus sanctus, notionalis utriusque amor, scintilla. Lux ad notitiam spectat: Filius vero per viam cognitionis procedit. Denique lux obscura quaeque manifestat: Verbo autem aeternus Pater secretiora mentis suae arcaea revelat. Unde S. Thomas 4. contra Gentes cap. 13. ait: Joann. 1. dicitur quod vita erat lux hominum: quia scilicet ipsum Verbum, quod vita est, & in quo omnia vita sunt, manifestat ut lux quaedam moribus hominum veritatem: Juxta illud Propheta: Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, &c.

Verbum ergo lux est, sed lux quae in tenebris nostrae mortalitatis luget, & qua, ut ait Bernardus, Nube carnis tegitur, non ut obscuratur, sed ut temperetur. Unde subdit Evangelista: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, ut scilicet splendor gloriae Patris, & Angelorum lumen, fieret lux hominum & illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum. Et idcirco Hebraei cap. 9. mysterium hoc quasi jam factum conficiens, latitudus exclamabat, dicens: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis, lux vera est eis.

Septimo, cum unica sit Patris dictio & intellectio, unum solum potest esse illius Verbum: illud enim est terminus adequatus cognitionis divinae; cum per illud & in illo, ut supra art. 1. & 2. ostensum est, Pater aeternus essentiam, attributa, relationes, & omnes creaturas possibiles cognoscit. Unde Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. Novit itaque omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio. Sed in seipso tanquam seipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus quae sunt in seipso. Omnia similiter novit & Filius, in se scilicet tanquam ea quae sunt de his quae Pater novit in se ipso. In Patre autem tanquam ea de quibus nata sunt, quae ipse Filius novit in seipso. Sciunt ergo invicem Pater & Filius sed ille gignendo, iste nascendo. Et Tract. 21. in Joann. sic ergo demonstrat Pater omnia quae fecit Filio, ut in Patre sit omnia Filius. Videndo enim natus est, & nascendo videt. Sed non aliquando non erat natus, & postea videt: Sed in eo quod est illi videre, in eo est illi esse, in eo est illi natus esse. Et paulo post: Verbum Patris est Filius, nihil dicit Deus quod non dicit in Filio: dicendo enim Filio quod facturus erat Pater per Filium, ipsum Filium genuit per quem fecerat omnia. Similiter docet D. Thomas in c. 1. Joann. ubi exponens haec verba Evangelistae, Verbum caro factum est: Haec (inquit) est differentia inter Verbum Divinum & humanum, quod verbum nostrum est imperfectum, sed Verbum Divinum est perfectissimum: quia enim necesse possumus omnes nostras conceptiones uno verbo exprimere, ideo oportet quod pura verba imperfecta sermone; per quae divinum exprimamus omnia quae in scientia nostra sunt. In Deo autem non est sic: cum enim & seipsum, & quicquid intelligit, per essentiam suam unico actu intelligat, unicum Verbum Divinum est expressivum totius quod in Deo est, nec solum personarum, sed etiam creaturarum, alias esse imperfectum.

Addo quod, inter Angelos quoque magis aliquid dignitate praecellunt, eo paucioribus speciebus & verbis ad enuntiandos proprios conceptus utuntur: Ergo cum Deus superpreum intellectualitatis apicem attingat, unico Verbo perfectissimo omnia viae infinite sapientiae arcaea manifestat. Unde ait Propheta Psal. 61. Semel locutus est Deus, duo haec audivi. Semel enim loquitur Deus, quia unicum Verbum

Verbum ab aeterno protulit, & continuo profert: sed duo audit Propheta, quia hoc unico Verbo Pater omnia declaravit.

Nec miramur quod Deus tantum semel loquatur: homines enim saepe loquuntur, quia illorum verba, cum nihil aliud sint quam inanis quidam & vacuus sonus aere verberans, mox fluunt & transiunt, ac subito evanescunt: Verbum autem Dei, cum sit ipsa veritas subsistens, ipsa quae Dei substantia, non transiit, sed permanet semper ac subsistit. Unde Bernardus serm. de verbis Abac. Semel locutus est Deus, semel utique, quia semper & una eum & non interpolata, sed continua locutus est. Hinc Propheta Regius Psal. 44. linguam Patris aeterni, Verbum increatum profertens, comparat calamo scribae velociter scribentis: quia (ut ibidem egregie notat Augustinus) quod lingua dicitur, sonus & transit: quod scribitur, manet. Cum ergo dicitur Verbum, & Verbum quod dicitur non sonus & transit, sed & dicitur & manet; scriptis hoc maluit Deus comparari quam sonis.

Unicum ergo est Dei Verbum, quia perfectissimum, & infinitum. Unicum, quia unio actus suae infinite sapientiae, Pater omnia comprehendit. Unicum, quia non transiit, sed in aeternum permanet. Unicum, quia unicus Patris unicus est Filius. Unicum tandem, quia in illo absconditi sunt omnes thesauri Sapientiae & scientiae Dei. Unde Joannes illius encomia his verbis concludit: Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenam gratiae & veritatis.

122 Denique, cum intellectio sit actio omnino immaterialis, & immaterialis ratio a priori intellectualitatis: ut docet D. Thomas supra q. 14. art. 1. ubi probat Deum esse summe intelligentem, quia est summe immaterialis: Verbum Divinum est immaterialiter genitum; & per consequens illius generatio purissima & castissima est. Neque enim (inquit Tertullianus) Filius natus est de Patre semina, non de feroci insecto, nec de stupro filia aut conjugis aliena: Deum Patrem passus est, non Ignem materiam, aut carnem, aut plumbum materiam, aut in aurum conversum. Juxta enim ipsa sunt membra vestri. Nascitur ex Deo Patre Filius, sicut radius ex Sole; flos ex virga, rivulus ex fonte, & sicut verbum ab intelligente. Nec ratio Sol corrumpitur, nec flos virga foetatur, nec fons ex rivuli fluxu desecatur; nec verbum corpore, sed mente generatur. Radius, Solis est splendor; flos, virgae ornatu; rivus, fontis decus & ornamentum; & verbum purissimum intellectiois terminus, ejusque perfectio, & complementum.

Sed quod adhuc mirabilis est, Verbi Divini generatio, non solum pulchra & casta est, sed etiam splendida & cum claritate, juxta illud Sapient. 4. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Casta est, quia immaterialis, & a Patre virgine, a quo, sicut omnis paternitas, ita virginitas quam in terris imitarentur effluxit, juxta illud Nazianzen: Prima Tris virgo est. Splendida est & cum claritate: quia a Patre laetum in splendoribus Sanctorum, & inter meridianos aeternitatis fulgores, ac aeternorum luminum irradiatione (id est ex perfectissima ac comprehensiva essentia, personarum, attributorum, & creaturarum omnium possibilitum cognitione) perficitur. Unde Dei Filius ex fine Patris procedit, non solum plenus gratia, decore, ac pulchritudine, sed etiam scientia, sapientia, & veritate, ut D. Joannes in fine ejusdem primi capituli attestatur.

123 Ex his deduci possunt plures prerogativae & excellentiae quae Dei sermoni conveniunt: cum enim ille sit quidam a Verbo Divino effluxus, ejusque imago & participatio, plures ejus prerogativae, & perfectiones participat.

In primis vix explicari potest, quanta sit illius virtus ac fecunditas: est enim quasi semen Dei, quo anima spiritaliter fecundata, Deum concipit, & quo fideles Dei Filii, immo & Dei quodammodo efficiuntur, juxta illud Propheta Psal. 81. Ego dixi Dei filii, & filii Excelli evenerunt. Ex quo Christus in Evangelio argumentum desumpsit, ad probandum suam divinitatem. Si enim, inquit, illos dicit Deus Scriptura, ad quae forma Dei factus est; quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, non dicitur quia blasphemus, quia dicitur: Filius Dei sum. Ubi Eucherius: Si illi dicuntur Dei, ad quae Dei forma factus est, & ideo quidam Dei dicuntur, quia sermone Dei custodiant, quare non magis ipse sermo Dei dicitur Deus.

Sed quod mirare magis, non solum Dei Filios adoptivos Dei sermo constituit, sed ipsum etiam Filium Dei naturalem, ante omnia saecula aeterna Patris locutione & dictione genitum, in tempore generavit. Verbo enim Deipara Virgo Verbum concepit & peperit, ut lepide expendit Bernardus homil. 4. super Misus est, ubi sic eam alloquitur. Responde Virgo Verbum, & suscipe Verbum; profer tuum, & concipe Divinum; emitte transitorium, amplectere sempiternum. Quod caritas, quid trepidas? Crede, conferte, suscipe. Aperi Virgo Beata cor fidei, labia consilii, viscera Creatori:

Nec minor hujus Divini Verbi efficacia ac fecunditas in ore Sacerdotis cernitur; ubi enim haec verba protulit: Haec est corpus meum: ore suo, veluti apud argumentosa, inter horum verborum flosculos Christum legit, & fractus ventris virginis, sic partus laborum ipsius. Idem in aliis Sacramentis contingit: Accedit enim (inquit Augustinus) Verbum ad elementum, & sic Sacramentum. Unde B. Jacobus fideles hortatur, hoc verbum, veluti aliquid germen caeleste, in corde suscipere: Suscipite, inquit, verbum infusum, quod potest salvare animas vestras. Exemplum ex agricultura sumptum est. Sicut enim hortulani arboribus sylvestribus nobilioris ligni fructuosos & gemina inferant, ut praestantiores fructus ferant; ita similiter Deus verbum suum, tanquam caeleste aliquid germen, in corde peccatoris inserit, ut fructus caelestes & divinos, id est opera supernaturalia, & vitae aeternae meritoria, possit producere.

125 Praeterea Divinum illud Verbum, non solum est fecundum, sed etiam salutariter, ac sanans omnes animi languores & infirmitates, juxta illud Propheta: Misi verbum suum, & sanavit eos, & eripuit eos de interitibus eorum. Apprime noverat miram hanc Divini Verbi virtutem Centurio; qui sic Christum affatus est: Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dicit verbo, & sanabitur puer meus. Cujus fidem summopere extollens Chrylogos, ait: Verbum a Verbo petit, quia creditur in Verbo omnes manere virtutes. Et addit: Verbum tuum Domine sanavit est; Verbum tuum vita est. Verbum tuum ubi accesserit, inde confusum fugit dolor, infirmitas mox recedit.

Denique Verbum Divinum non solum est lucens, sed etiam ardens; nec desert tantum splendorem & lucem, sed divinum etiam spirat ac inspirat ardorem. Nam, ut inquit S. Thomas infra q. 43. art. 5. ad 2. Filius est Verbum, non qualemque, sed spirans amorem. Spirit enim amorem in corde Patris, producendo cum illo Spiritum sanctum. Spirit dilectionem in sinu matris, in quo divini amoris incendia copiose effudit. Spirit etiam amorem in cordibus fidelium: nam ipsemet ait: Ignem veni mittere in terram, & quid vobis, nisi ut ardeatis? Unde duo Discipuli in Castello Emau, hoc divino igne accendit, dicebant ad invicem: Nonne cor nostrum ardere erat in vobis, dum loqueretur in vobis, & aperiret nobis scripturas?

DISPUTATIO X.

De Persona Spiritus Sancti.

Ad quaestiones 36. & duas sequentes.

Ergo jam ad nomen boni nostrae venias oratio: inquit Dionysius c. 4. de divin. nomin. Loquamur ergo de Spiritu sancto, ejus essentia bonitas, cuius affectus amor, & cui nomen caritas & dilectio. Verum sicut nemo scit quae hominis sunt, nisi spiritus hominis qui in ipso est: sic ea quae sunt Dei, vel Spiritus Dei, nemo cognovit nisi Spiritus Dei. Spiritus quippe sanctus (inquit Augustinus tract. 74. in Joann.) potest esse sine nobis, datur etiam ut sit in nobis sed videtur & sciri, quemadmodum videmus, & sciendus est; non potest a nobis, si non sit in nobis. Veni ergo Spiritus alme (prosequitur idem S. Doctor in medit.) Veni: divini amor nuntius, Patris omnipotentis, prolesque beatissima sanctae communicationis omnipotens Paracleti, marientium consolator; cordi: mei penetrabilis potentis illudere virtute, & tenebris quaeque mentis meae, consilii luminis fulgore, & puer habitator letifica. Veni fortitudo fragillum, humilium doctor, superbiorum destructor. Veni sancte Spiritus, & emitte caelitus lucis tuae radium, quod purgata ingenioli mei acies, Divinitatis tuae arcaea valeat penetrare.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, distingueretur ab illo?

Titulus unum supponit, & aliud inquiri. Supponit Spiritum sanctum a Filio procedere, & inquiri an distingueretur ab illo, si ab eo non procederet. Licet autem primum sit certum de fide, & a pluribus Conciliis definitum: quia tamen permanciter negatur a Graecis schismaticis, contententibus Spiritum sanctum a solo Patre procedere: idcirco antequam aliud punctum, in quo inter Schole Angelicae & sub illius Discipulos celebris est controversia, aggrediamur: opera pretium videtur, Graecorum errorem resellere: & Ecclesiae definitionem, Scripturarum, & SS. Patrum testimonium, nec non aliquibus rationibus & congruentiis, firmare ac roborare.